



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Quando tum Campsario, tum Camsori cambium prosit, cujus erit lucrum?
parag. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

habere correspondentem, qui ibi solvat, & tamen de facto ipse non habeat, unde, nec stes promissis, nec solvat, non est mirum, quod iuste possum ab ipso hic exigere, quanti mea interfuit, pecuniam non fuisse solutam in eo loco: non est, inquam, mirum, quia tunc ejus fallax promissio fuit mihi causa talis damni.

Nota id verum esse, tum in hoc genere Cambii, de quo hic loquimur, tum de aliis, sive per literas, sive ad Nundinas, par enim est ratio, ut, si tu non stes mihi promissis, debeas mihi solvere damnum emergens, & lucrum cessans. Vide tamen omnino quæ mox dicam. *n*

a Infra c. 5

§. 1. n. 16.

Et n. 17.

§. III.

Quando tum Campsario, tum Campsori Cambium proficit, cujus erit lucrum?

1. Titius cupit habere Neapoli centum aureos v. g. quos tamen habet hic Panormi: Cajus autem cupit similia centum habere hic Panormi, quæ tamen habet Neapoli. Hi ergo invicem Cambiunt, & uterque obtinet, quod ipsis est utile, unde unus alteri æquè famulatur. Inquire, cujusnam erit lucrum ex tali Cambio?

b Mol. d.

405. Ca-

jetan de

Camb. c. 6

Et 7. Sil.

V. usur. n.

4. q. 8. §.

Secundo

Gar. c. 33.

de contr.

n. 5. Lop. l.

2. de contr.

c. 4. aliq.

apud Bo-

nac. d. 3. de

contrac. q.

5. n. 25.

2. Respondeo, fore illius, qui *b* prævenitur. Si enim Titius ad te Cajum veniat, ut Cambias illa centum, tuum erit lucrum, si ru ad Titium, lucrum erit Titii. Ratio est, quia, qui prævenitur, præstat alteri obsequium ex se æstimabile, & per accidens est, ut id aliunde vertatur in suum commodum. Sicuti (ait Molina.) Si Petrus v. g. deberet cum expensis equum, quem conduxit, remittere hinc Panormo Messanam, & Paulus indigeret equo, quo iter facturus Messanam sit, posset, qui prævenitur totum, & integrum pretium locati equi recipere, quia ei, qui prævenitur, solvitur justum illud pretium, quod est condignum illo obsequio à se exhibito.

3. Ex quo exemplo infert idem Molina, quod sicuti, si Petrus sciret necessitatē Pauli querentis equum, qui illum Messanam portaret, & Paulus sciret necessitatem Petri volentis reducere equum Messanam, possent licitè simul convenire, ut vel gratis, vel cum aliquo lucro ex alterutra parte reduceretur equus, & quomodo eunq; conventio inter illos fieret, licita esset, quia neuter teneret.

celebrare contractum in alterius commodum, sed potest in suum; paritate in casu nostro, &c.

4. Quid, si ego indigens pecunia Neapoli, dem illam hic Panormi Nummulario, ut ipse meo nomine det ad Cambium Tertio, qui illam fortasse optat habere hic Panormi, daturus eandem cum legitimo lucro Neapoli, possumne licitè tunc ego ejusmodi lucrum Neapoli acquirere, ubi jam habebō pecuniam, quam optabam?

Respondeo, licitè posse, ut colligitur ex dictis, quia, quod immediatè tu potes, si immediatè præveniaris, & quod potes, si cum alio convenias, idem potes, si præveniaris, vel conventionem faciat ille Nummularius, qui tunc tuas vices gerit.

C A P U T V.

De Cambio ad Nundinas.

§. I.

De Cambio ad Nundinas absolute.

1. Mercatores certas quasdam Nundinas in aliquibus locis, seu Urbibus, instituerunt, ut ibi debita solvantur, vel contrahantur, & item, ut ratiocinia reddantur, & scribatur in libris dati, & accepti. Solent præsertim in Italia hæc Nundina fieri quater, singulis annis, spatio inter se distantes trium mensium, quod spatium datur, ut solutiones commodè expediri queant. Primæ dicuntur Nundina Apparitionis, & celebrantur circa festum Epiphaniæ. Secundæ, Paschatis, ineunte Majo. Tertiar, Augusti, eo enim mense sunt. Quartæ, omnium Sanctorum, quia, pauld post ejusmodi festum, celebrantur. Alicubi, ut Francofurti bis celebrantur has Nundinas, monet Lessius loco mox citando, nimirum circa Pascha, & circa Septembrem, nam propterea Cambium ad has Nundinas vocatur à Lessio Francofurtensè. Cum autem Cambia dicuntur fieri ad Primas, vel ad Secundas, vel ad Tertias, vel ad Quartas Nundinas, sensus est, quod solutio pecuniæ faciendæ est post tres, vel post sex, vel post novem, vel post duodecim menses.

2. Quid, si dentur pecuniæ hic, ut in eo loco fiat earum solutio, ubi Nundina non celebrantur?

Respon-